



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Ereptione, Qvalitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

445. An, & quid agere possit Parochus pro Ecclesia sibi subjecta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)

meratur, ideoque in externo foro jurisdictionem ordinariam ac perpetuam erga parochianos habuerit Ecclesie sue speciali jure annexam, vel capituli electione sibi acquisitam. Laym. loc. cit. citans Innoc. in c. quanto. de off. Jud. ordinar. n. 2.

Questio 445. An, & quid agere possit parochus pro Ecclesia sibi subiecta?

1. **R**espondeo primò: potest agere seu instituere actionem pro juribus ac possessione Ecclesie sue. Laym. ad c. cum ex literis. de off. Jud. ordinar. n. 1.

2. Respondeo secundò: potest Rector seu parochus, etiam sine superioris auctoritate pacisci in favorem & commodum Ecclesie sue. Argumento c. pactum. de pactis. Laym. ad hoc c. n. 2. Anchar. Jo. And. ibidem. Ecclesia enim fruitur jure minorum. c. auditis. de in integ. restitut. Unde licet administratores & rectores illius obesse ei non possint alienando absque superioris auctoritate, ut constat ex c. Abbatibus 12. q. 1. & docent AA. nominatim Abb. in c. 1. de his que sunt à prel. num. 5. possunt tamen Rectores Ecclesie suis prodesse acquirendo v. g. donationes & debitorum remissiones acceptando. Laym. loc. cit. & th. mor. l. 3. tr. 4. c. 1. coroll. 2.

Questio 446. An, & qualiter parochi bona Ecclesie sue custodire, alienare aut elocare debeant ac possint?

1. **R**espondeo primò: ad conservanda bona spectantia ad Ecclesias parochiales rerum & bonorum Ecclesie sue eorumque reddituum inventarium conficere debent parochi, ejusque copiam Ordinario tradere, sic enim facilius bona Ecclesiastica ab usurpatoribus defenduntur, & successoribus, quos plerumque Ecclesiarum, de quibus provisi sunt, bona & jura ignorare contingit, consulitur. Idem est de mobilibus; nam & ista, quae vel sacra, vel ad usum Ecclesie destinata, vel ad usum domus Ecclesie à prædecessoribus acquisita, atque à præsentate Rectore adepti beneficii tempore in Ecclesia inventa sunt, in inventarium redigenda sunt. Ita monet, & jussit curatis suis S. Carol. Borromeus, ut haberetur in 4. p. Actorum Mediolan. apud Barbof. de off. paroch. c. 13. n. 38. Hujus quoque inventarii traditi in Archivio Episcopali exemplum ab eodem parochi in libro proprio Ecclesie manu sua subscriptum conservari debere, jubet Pius V. in constitut. sua apud Barbof. loc. cit.

2. Respondeo secundò: parochus nullatenus distrahere potest aliòve transferre istiusmodi bona aut res ad Ecclesiam pertinentes sine obtenta ab Ordinario licentia, quam ille non aliter concedere debet, quam si alias res meliores, aut saltem æquales, in locum amovendarum parochus reipsa substituatur; nisi forte iusta aliqua necessitas, nulla parochi culpâ contracta, secus suadeat, quod Episcopi prudentiæ statuendum relinquatur. Ita ferè ad verbum Pius V. in constitut. sua apud Barbof. loc. cit.

3. Respondeo tertio: sub excommunicatione aliisque pænis gravissimis prohibitum esse Ecclesiasticis, adeoque & parochis bona Ecclesie immobilia, sine Apostolica auctoritate ullo pacto ultra triennium locare, aut alia ratione alienare. Extrav. ambitiosa. de reb. Eccl. non alienand. Barbof. de off. paroch. c. 13. n. 40. & in collectan. ad cit. Extrav. ubi etiam habet, quòd comprehendantur fructus & redditus rerum Ecclesiasticarum, & quòd earum elo-

catio ultra triennium sit invalida. Quodque homine alienationis ibi intelligatur omnis actus, quo dominium rei directum, vel utile, aut usufructus, aut jus in alterum transfertur vel abdicatur; ac prout de non solum veniat venditio, aut alius contractus gratuitus vel onerosus, quo rei dominium in alterum transfertur, sed etiam hypotheca, infeudatio, Emphyteusis: non autem repudiatio seu remissio legati vel hereditatis ac rei Ecclesie non incorporatae. Tenentque hæc aded, ut etiam alienationes factæ cum clausula; reservato sedis Apostolica beneplacito, irritæ & invalidæ sint, si ante obtentam confirmationem possessio rei Ecclesiastica alteri tradita fuerit. Quin etiam Rectores ipsi & possessores tanquam intrusi ad constitutas pænas teneantur. Barbof. de paroch. loc. cit. n. 41. Ita tamen ut excusandi sint Rectores, si penitentia aliòve titulo ducti alienationem revocaverint ante realem & pacificam possessionem. Barbof. loc. cit. citans Covar. l. 2. var. c. 16. n. 7. Nav. conf. 8. de reb. Eccl. non alien. Filiuc. qq. mor. tr. 14. nu. 119. & tr. 44. c. 6. q. 5.

4. Respondeo quartò: præterea parochos cavere debere à locationibus bonorum parochie sue cum anticipatis solutionibus, uti id ipsum prohibet Trid. sess. 24. c. 11. his verbis: *magnam Ecclesie perniciem asserere solet, cum earum bona representata pecunia in successorum præjudicium aliis locantur, omnes igitur hæc locationes si anticipatis solutionibus sunt, nullatenus in præjudicium successorum valide intelligantur, quocumque indulto ac privilegio non obstante, nec hujusmodi locationes in Romana curia vel extra eam confirmantur &c.* Barbof. de paroch. loc. cit. n. 39. citans Piacet. in pr. p. 2. c. 4. n. 65. Zetol. in pr. p. 1. v. alienario. §. 6. Ricc. in pr. p. 4. resol. 366. Rebell. de oblig. Just. p. 2. l. 14. q. 5. n. 4.

5. Respondeo quintò: in rerum tamen tenuiorum, licet immobilium alienatione non requiri auctoritatem Apostolicam, nec aliàs desiderari solemnitates aliàs in rerum Ecclesiasticarum alienatione intervenire solitas, sed solum, ut causa cognita, & evidente Ecclesie utilitate Ordinarius auctoritate suâ eam approbet. Ita ferè Barbof. loc. cit. n. 42. citans Riccium in pr. aurea resol. 283. Franc. Leon. in thes. fori Eccles. p. 1. c. 15. n. 6. Piacet. loc. cit. c. 5. n. 32. Ugol. de pot. Ep. c. 14. §. 7. num. 4. Bonac. var. tract. tit. de alien. rer. Eccl. d. 2. q. unica. p. 4. num. 3. &c.

Questio 447. Circa jurisdictionem parochi, qualis ea sit respectivè ad loca exempta v. g. Monasteria, Hospitalia sita intra fines parochie. Item comparativè ad jurisdictionem Capituli cathedralis?

1. **R**espondeo ad primum: primò Ecclesie intra limites alicujus parochie fundatae, non dicuntur ipsius parochie subdita; neque ab ea aliquam dependentiam habent, nisi ex lege foundationis, aut legitima consuetudine, seu aliàs id specialiter probet, cum id soli cathedrali competat. Rota decis. 552. p. 5. recent. n. 11. apud Card. de Luc. de paroch. d. 31. n. 6.

2. Secundò parochum habere territorium limitatum intra suos fines, ac etiam intra illos respectu eorum, qui subjacent ejus curæ & jurisdictioni. Ac consequenter, dum ingreditur Ecclesiam exemptam intra dictos fines sitam, dicitur esse extra territorium proprium, & in loco, in quo nullam habet